

certaminis, cum quo luctari coeperas, elisit, hoc tantum profecit ut fortio-rem te sentiat resurgentem. Modo enim tibi e portu solventi magis quam de commerciis revertenti ac repleta divitiis expetitis navigia reportanti, occurrit
85 incassum pirata violentus, ut si quispiam provocatum leonem conetur occidere, si sola tantum radentis transitum ferri pellis agnoscat, non solum profecto illum non laesit, sed cautiorem saevio-remque in sui magis perniciem provocavit.

2. Lubricum genus est natura mortalis; cito quidem labitur sed non sero reparatur, et ut facile cadit, ita et velociter surgit. Beatus quoque ille vir, David, de quo loquor, electus in ordine regum, electus et in numero prophetarum, posteaquam in plurimis Domino dignus apparuit, hominem se esse monstravit et amore quodam alienae mulieris exarsit. Nec hoc solum contentus fuit, sed adulterium ex cupiditate commisit et homicidium propter adulterium perpetravit. Sed non ideo cum duplex vulnus
10 exceperat, etiam tertio se ipse percussit, verum mox ad medicum convolvavit et diversa medicamina plagis festinus adposuit ieiunia, lacrimas, luctus, preces sicut indefessas, peccatorum confessiones, ac sic per istas placato Domino veniam meruit et ad priorem rediit dignitatem
15 usque adeo, ut post adulterium et homicidii crimen, impietatem ac scelus filii paterna memoria potuerit obumbrare. Filius enim eius, cui Salomon vocabulum erat, isdem quibus pater vitiis involutus ad muliebrem gratiam a paterno